



MISSALE VOTIVUM


Harvard College
Library
VE
RI
TAS
FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862



Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. (Luc. XXIV. 29.)

MISSALE VOTIVUM

VENERANDI EMMAUNTINI SANCTUARII

SEXAGINTA SITI AB HIEROSOLYMA STADIIS

SUB CUSTODIA FRATRUM MINORUM

TERRÆ SANCTÆ

CONTINENS

MISSAS QUATUOR VOTIVAS PROPRIAS

IN SACRIS ADJUNCTIONIS ET MANIFESTATIONIS DOMINICÆ LOCIS

EX INDULTO APOSTOLICO

A QUIBUSVIS SACERDOTIBUS ETIAM PEREGRINIS

PER SINGULOS ANNI DIES

CELEBRANDAS

CURANTE REVERENDISSIMO PATRE

FRIGDIANO GIANNINI TERRÆ SANCTÆ CUSTODE

PUBLICATUM.





RATISBONÆ.

TYPIS FRIDERICI PUSTET,

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI.

MDCCCCIII.


Harvard College
Library
VE RI TAS
FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862



Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. (Luc. XXIV. 29.)

MISSALE VOTIVUM

VENERANDI EMMAUNTINI SANCTUARII

SEXAGINTA SITI AB HIEROSOLYMA STADIIS

SUB CUSTODIA FRATRUM MINORUM

TERRÆ SANCTÆ

CONTINENS

MISSAS QUATUOR VOTIVAS PROPRIAS

IN SACRIS ADJUNCTIONIS ET MANIFESTATIONIS DOMINICÆ LOCIS

EX INDULTO APOSTOLICO

A QUIBUSVIS SACERDOTIBUS ETIAM PEREGRINIS

PER SINGULOS ANNI DIES

CELEBRANDAS

CURANTE REVERENDISSIMO PATRE

FRIGDIANO GIANNINI TERRÆ SANCTÆ CUSTODE

PUBLICATUM.



RATISBONÆ.

TYPIS FRIDERICI PUSTET,

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI.

MDCCCCIII.

Concordant cum Originalibus.

In fidem etc.



Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis,
die 20. Aprilis 1903.

+ D. Panici Archiep. Laodicen. S. R. C. Secretarius

RESCRIPTUM APOSTOLICUM
IN FAVOREM INSTAURATI EMMAUNTINI SANCTUARII
SEXAGINTA SITI AB HIEROSOLYMA STADIIS
PER SACRAM RITUUM CONGREGATIONEM
NOVISSIME A FRANCISCANIS OBTENTUM

pro Missis Votivis in sacro Adjunctionis et Manifestationis Dominicæ Loco per Sacerdotes omnes etiam peregrinos quotidie celebrandis.

SUMMARIUM. — Conceduntur in perpetuum quatuor Missæ votivæ propriæ in Emmauntino Sanctuario celebrandæ, quarum prima semper cum privilegiis Sanctuariorum majoris ordinis in omnibus Ecclesiæ Altaribus celebranda, reliquæ vero extra diem propriam (in qua omnes Missæ censentur esse primæ Classis) cum juribus tantum Sanctuariorum ordinis minoris in respectivo solum Altari perlegendæ; nempe: — **I°.** — De Manifestatione Christi Resurgentis in Fractione Panis, — **II°.** — De Sancto Cleopha Christi Discipulo ejusque Resurrectionis teste, — **III°.** — De Sancto Simeone, alias Simone, Christi item Discipulo ejusque pariter Resurrectionis teste, — **IV°.** — De Adjunctione exciti a mortuis Jesu cum duobus Discipulis in via, quousque hoc alterum Sanctuarium (ubi nihilominus hæc et Votivæ Sanctorum Simeonis et Cleophæ interim suo vel proximiore loco haberi etiam possunt) ex Infidelium manibus redimatur.

HIEROSOLYMITANA
SEU
ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI
DE CUSTODIA TERRÆ SANCTÆ.

Quo uberiores pietatis sensus et fructus, qui e sacra Palæstinensium Locorum visitatione in Fidelium pie illuc peregrinantium animos effluere solent, colligantur quoque ab iisdem Sanctuarium, sive Sancti Cleophæ Domum, ad Castellum Emmaus invisentibus, et præsertim ad Sacerdotum peregrinorum consolationem adaugendam; horum votis libentissime obsecundans, Reverendissimus Pater Frigdianus Giannini, Minorum Franciscalium Terræ Sanctæ Custos, Sanctissimum Dominum Nostrum LEONEM Papam XIII. enixis precibus rogavit, ut privilegium Missæ votivæ propriæ, ceteris Sanctis Palæstinæ Locis vel inferioris quandoque momenti ab Apostolica Sede tributum, ad Sanctuarium etiam Castelli Emmaus et Cleophæ Domum extendere dignaretur.

Quare quatuor ejusmodi Missarum votivarum pro respectivis novæ Ecclesiæ et ipsius Sanctuarii Altaribus apte elucubratum schema Supremæ Pontificiæ Sanctioni humillime subjecit: quarum I^a. Missa (juribus Sanctuariorum majoris ordinis ditanda in Apostolico Indulto diei 31. Augusti 1865. contentis) est de Mysterio Manifestationis Domini Nostri Jesu Christi Resurgentis habitæ ad Castellum Emmaus, pro nova Ecclesia, cujus idem Mysterium Titulus habetur: II^a., prouti reliquæ duæ Missæ votivæ privilegiis, queis, juxta enuntiatum Apostolicum In-

dultum Sanctuaria Palæstinæ minoris ordinis gaudent, exornanda foret, est de Sancto Cleopha, Christi Discipulo atque ejus Resurrectionis teste: IIIª. de Sancto Simeone, vel Simone, Socio Sancti Cleophæ, qui similiter Dominum a mortuis excitatum in Fractione Panis agnovit: IVª. denique Missa votiva pro Loco ubi Dominus Jesus binis iisdem Discipulis comitem in via se adjunxit, in Altari maximo enunciatæ novæ Ecclesiæ Emmaus celebranda, quoadusque alterum Sanctuarium in ipso Loco ex Infidelium manibus adimatur.

Earumdem vero quatuor Missarum schemata quum infrascriptus Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Dominicus Ferrata, Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus, Relator in Ordinario Cœtu ipsius Sacri Consilii subsignata die ad Vaticanum coacto proposuerit; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus maturo examine perpensis, attento quoque voto et commendationis officio Reverendissimi Domini Ludovici Piavi, Patriarchæ Hierosolymitani, atque audito R. P. D. Alexandro Verde, Sanctæ Fidei Promotore, rescribere rati sunt: Pro gratia, et ad Eminentissimum Præfectum, Ponentem, cum Fidei Promotore. **Die 2. Decembris 1902.**

Revisione denique peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI Papæ XIII. ab eodem infrascripto Cardinali relatis; Sanctitas Sua sententiam Sacri memorati Consilii ratam habuit, ac suprascriptas Missas votivas proprias in usum Sacerdotum in Sanctuario ad Castellum Emmaus Sacrum litantium, benigne approbare dignata est: ita tamen, ut Missa votiva de mirabili Agnitionis Mysterio Domini Nostri Jesu Christi in Fractione Panis celebrari valeat in cunctis Altaribus novæ Ecclesiæ cum Gloria et Credo, absque ulla Commemoratione, singulis per annum diebus, exceptis Epiphania Domini, integra Hebdomada majori, Dominicis Paschatis et Pentecostes, Nativitate Domini Nostri Jesu Christi, necnon Festo Deiparæ Virginis Assumptionis: ceteræ vero tres Missæ votivæ juxta preces celebrandæ erunt in respectivis tantum Altaribus absque Gloria et Credo atque ulla Commemoratione, singulis anni diebus; exceptis Dominicis et Duplicibus primæ et secundæ Classis, nec non Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV. Cinerum, tota majori Hebdomada, Octavisque privilegiatis: servatis ceterum Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16., iisdem mense [Decembri] et anno [1902].



D. Card. Ferrata Praef.

+D. Panici Archiep. Laodicen. S. R. C. Secretarius

Apud Sanctuarium in via ad Castellum Emmaus.

Missa votiva

extra Tempus Paschale

De Adjunctione Christi Resurgentis

cum duobus Discipulis in via

Ad Altare etiam Majus Emmauntini Sanctuarii

celebranda.

Infra Octavas Sanctorum Simeonis et Cleophæ
est primæ Classis,
Reliquis autem per annum diebus
est secundæ tantum Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Psalm. xxxiii. 19.

JUxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde; et húmiles spíritu salvábit: non confundéntur omnes, qui sperant in eo. Psalm. Ibid. 2. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Non dicitur Glória in excélsis. nisi in Festo ac per Octavam tam Sancti Simeonis, quam Sancti Cleophæ.

Oratio.

DOmine Jesu, qui post Resurrectiónem tuam Discípulis in via te cómitem adjunxísti: eádem nobis miseratióne concéde; ut tecum júgiter ambulántes, in angústiis nostris lumen et solátium inveniámus: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. vi. 10.

AD vos ergo sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam, et non excidátis. Qui enim custodíerint justa juste, justificabúntur: et qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, et habébitis disciplínam. Clara est, et quæ numquam marcéscit Sapiéntia: et fácile vidétur ab his, qui díligunt eam; et invenítur ab his, qui quærunt illam. Præóccupat qui se concupíscunt, ut illis

se prior osténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: assidéntem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa, sensus est consummátus: et qui vigiláverit propter illam, cito secúrus erit. Quóniam dignos seípsa círcuit quærens, et in viis osténdit se illis hiláriter, et in omni providéntia occúrrit illis.

Graduale. Esth. xiv. 12. Meménto Dómine, et osténde te nobis in témpore tribulatiónis nostræ.

℣. Psalm. cxviii. 130. Declarátio sermónum tuórum, Dómine, illúminat: et intelléctum dat párvulis.

Allelúja, allelúja.

℣. Zach. x. 12. Confortábo eos in Dómino, et in nómine ejus ambulábunt, dicit Dóminus. Allelúja.

℥ Post Septuagesimam, omissis Allelúja. et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. civ. 3. Laudámini in nómine sancto ejus: lætétur cor quæréntium Dóminum.

℣. Quǽrite Dóminum, et confirmámini: quǽrite fáciem ejus semper.

℣. Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit: prodígia ejus, et judícia oris ejus.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. xxiv. 13.

IN illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quǽrerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex no-

stris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant.-ℑ-Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Non dicitur **Credo**, nisi in Festo ac per Octavam tam Sancti Simeonis, quam Sancti Cleophæ.

Offertorium. Jer. xxiii. 29. **Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus: et quasi málleus cónterens petram?**

Secreta.

DEus, qui Discípulis in via præséntiam éxhibens, cognitiónis tuæ spéciem abscondísti: concéde propítius; ut nunc Mystériis ábditum te digne suscipiéntes, reveláta tandem fácie, júgiter contemplári mereámur: Qui vivis.

Præfatio Paschalis, sed cum variationibus, quæ juxta Temporis diversitatem, in Missa votiva de Manifestationis Dominicæ Mysterio, inferius indicantur.

Communio. Marc. xvi. 12. **Duóbus ex Discípulis ambulántibus osténsus est Jesus in ália effígie, eúntibus in vil-**

lam: et illi eúntes nuntiavérunt céteris. Allelúja.

Postcommunio.

CŒléstium operátio Sacramentórum, quǽsumus Dómine, ignorántiam nostram erúdiat, ac róboret infirmitátem: ut Christi valeámus testimónia cognóscere, et in glóriam ipsíus, communicántes passiónibus, introíre. Per eúmdem.

In fine Missæ, si recitatum fuerit **Glória in excélsis.** dicitur **Ite missa est.**; secus vero, substituitur **Benedicámus Dómino.**

☩ In Missis votivis in Festo ac per Octavam tam Sancti Simeonis, quam Sancti Cleophæ, hoc Loco celebrandis, immo et semper in Votivis apud Ecclesiam Emmauntinam habendis, præceptive Evangelium integre recitatur; aliis autem diebus Evangelium vel integre legi potest, vel ad signum -☩- absolvi, prouti in Missa hic superius apposita innuitur.

Apud hoc primum Adjunctionis Dominicæ cum Discipulis in via Sanctuarium, dici etiam possunt Missæ votivæ de Sancto Simeone, aut de Sancto Cleopha, quæ inferius pro altero Manifestationis Dominicæ Sanctuario apud Emmaus Castellum celebrandæ assignantur: sumpta nihilominus, extra propriam Sancti Octavam, semper Epistola, quæ ad alterutram Missam secundo loco apponitur; atque Evangelio extra Festum et Octavam respectivæ tantum Personæ, non tamen apud Ecclesiam umquam Emmauntinam, etiam breviari permisso, prouti in Missa hic superius apposita indicatur.



Apud Sanctuarium in via ad Castellum Emmaus.

Missa votiva
infra tempus Paschale

De Adjunctione Christi Resurgentis

cum duobus Discipulis in via

Ad Altare etiam Majus Emmauntini Sanctuarii

celebranda.

Infra Octavam ipsam Paschæ
est primæ Classis,
Reliquis autem infra Tempus Paschale diebus
est secundæ tantum Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Psalm. xxxiii. 19.

JUxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde; et húmiles spíritu salvábit, allelúja: non confundéntur omnes, qui sperant in eo. Allelúja, allelúja.

Psalm. Ibid. 2. **Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.**

Non dicitur **Glória in excélsis.** nisi infra Octavam Paschæ.

Oratio.

DOmine Jesu, qui post Resurrectiónem tuam Discípulis in via te cómitem adjunxísti: eádem nobis miseratióne concéde; ut tecum júgiter ambulántes, in angústiis nostris lumen et solátium inveniámus: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. vi. 10.

AD vos ergo sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam et non excidátis. Qui enim custodíerint justa juste, justificabúntur: et qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, et habébitis disciplínam. Clara est, et quæ numquam marcéscit Sapiéntia: et fácile vidétur ab his, qui díligunt eam; et invenítur ab his, qui quærunt illam. Præóccupat qui se concupíscunt, ut illis se prior osténdat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: assidéntem enim illam

fóribus suis invéniet. Cogitáre ergo de illa, sensus est consummátus: et qui vigiláverit propter illam, cito secúrus erit. Quóniam dignos seípsa círcuit quærens, et in viis osténdit se illis hiláriter, et in omni providéntia occúrrit illis.

℟ A Feria II. Paschatis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, post Epistolam dicitur:

Graduale. Psalm. cxvii. 24. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea.

℣. Psalm. cxviii. 130. Declarátio sermónum tuórum, Dómine, illúminat: et intelléctum dat párvulis.

Allelúja, allelúja.

℣. Zach. x. 12. Confortábo eos in Dómino, et in nómine ejus ambulábunt, dicit Dóminus.

Sequentia.

Victimæ Pascháli laudes ímmolent Christiáni.

Agnus redémit oves: Christus ínnocens Patri reconciliávit peccatóres.

Mors et vita duéllo conflixére mirándo: dux vitæ mórtuus, regnat vivus.

Dic nobis, María, quid vidísti in via?

Sepúlchrum Christi vivéntis, et glóriam vidi resurgéntis;

Angélicos testes, sudárium et vestes.

Surréxit Christus spes mea: præcédet vos in Galilǽam.

Scimus Christum surrexísse a mórtuis vere: tu nobis, victor Rex, miserére. Amen. Allelúja.

℟ Reliquo autem Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Prov. xxx. 5. Omnis sermo Dei ignítus, clýpeus est sperántibus in se. Allelúja.

℣. Esth. xvi. 21. Hanc enim diem, Deus omnípotens, mœróris et luctus, eis vertit in gáudium. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. xxiv. 13.

In illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quǽrerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et

ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. -℣- Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Non dicitur Credo. nisi infra Octavam Paschæ.

Offertorium. Jer. xxiii. 29.

Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus: et quasi málleus cónterens petram? Allelúja.

Secreta.

DEus, qui Discípulis in via præséntiam éxhibens, cognitiónis tuæ spéciem abscondísti: concéde propítius; ut nunc Mystériis ábditum te digne suscipiéntes, reveláta tandem fácie, júgiter contempläri mereámur: Qui vivis.

Præfatio Paschalis, sed cum variationibus, quæ juxta Temporis diversitatem, in Missa votiva de Manifestationis Dominicæ Mysterio, inferius indicantur.

Communio. Marc. xvi. 12. **Duóbus ex Discípulis ambulántibus osténsus est Jesus in ália effígie, eúntibus in villam, allelúja: et illi eúntes nuntiavérunt céteris. Allelúja.**

Postcommunio.

CŒléstium operátio Sacramentórum, quǽsumus Dómine, ignorántiam nostram erúdiat, ac róboret infirmitátem: ut Christi valeámus testimónia cognóscere, et in glóriam ipsíus, communicántes passiónibus, introíre. Per eúmdem.

A Feria II. Paschatis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, in fine Missæ dicitur:

℣. **Ite missa est. Allelúja, allelúja.**

℟. **Deo grátias. Allelúja, allelúja.**

Reliquo autem Tempore Paschali in fine Missæ, si recitatum fuerit **Glória in excélsis.**, dicitur more solito **Ite missa est.**; secus vero substituitur **Benedicámus Dómino.**

⁑ In Missis votivis infra Octavam Paschæ, hoc Loco celebrandis, immo et semper in Votivis apud Ecclesiam Emmauntinam habendis, præceptive Evangelium integre recitatur; aliis autem diebus Evangelium vel integre legi potest, vel ad signum -⁑- absolvi, prouti in Missa hic superius apposita innuitur.

Apud hoc primum Adjunctionis Dominicæ cum Discipulis in via Sanctuarium, dici etiam possunt Missæ votivæ de Sancto Simeone, aut de Sancto Cleopha, quæ inferius pro altero Manifestationis Dominicæ Sanctuario apud Emmaus Castellum celebrandæ assignantur: sumpta nihilominus semper Epistola, quæ ad alterutram Missam secundo loco apponitur; et Evangelio extra Octavam Paschæ, non tamen apud Ecclesiam umquam Emmauntinam, etiam breviari permisso, prouti in Missa hic superius apposita indicatur.

In Ecclesia Sanctuarii Emmaus.

Missa votiva

De Sancto Simeone Christi Discipulo

ejusque Resurrectionis teste

Ad Altare tantum ipsius Sancti Simeonis

celebranda.

Infra Octavas Paschæ et ipsius Sancti Simeonis
est primæ Classis,
Reliquis autem per annum diebus
est secundæ tantum Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Psalm. xxxiii. 7.

DE ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum: gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beátus vir, qui sperat in eo.

Psalm. Ibid. 2. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Non dicitur Glória in excélsis. nisi infra Octavam Paschæ, atque in Festo et per Octavam ipsius Sancti Simeonis.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui a mórtuis exsúrgens, beáto Simeóni Scriptúras omnes, quæ de teípso erant, in via declarásti: da nobis, ejus intercessióne; ut illuminátis per te óculis cordis nostri, in rerum cœléstium doctrína et amóre proficiámus: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

II. Cor. v. 14.

FRatres: Cáritas Christi urget nos: æstimántes hoc, quóniam si unus pro ómnibus mórtuus est, ergo omnes mórtui sunt: et pro ómnibus mórtuus est Christus; ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Itaque nos ex hoc néminem nóvimus secúndum carnem. Et si cognóvimus secúndum carnem Christum: sed nunc jam non nóvimus. Si qua ergo in Christo nova

creatúra, vétera transiérunt: ecce facta sunt ómnia nova. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliávit sibi per Christum; et dedit nobis ministérium reconciliatiónis. Quóniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcílians sibi, non réputans illis delícta ipsórum, et pósuit in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fúngimur, tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo. Eum, qui non nóverat peccátum, pro nobis peccátum fecit, ut nos efficerémur justítia Dei in ipso.

Graduale. I. Paral. xxix. 17. Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitátem díligas.

℣. Psalm. xv. 10. Notas mihi fecísti, Dómine, vias vitæ: adimplébis me lætítia cum vultu tuo.

Allelúja, allelúja.

℣. Psalm. cxviii. 49. In verbo tuo, Dómine, mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea, quia elóquium tuum vivificávit me. Allelúja.

℟ Post Septuagesimam, omissis Allelúja. et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. xxxiii. 4. Magnificáte Dóminum mecum: et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

℣. Accédite ad eum, et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.

℟ Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Psalm. cxviii. 140. Ignítum, Dómine, elóquium tuum veheménter: et servus tuus diléxit illud. Allelúja.

℣. Prov. xx. 13. Aperi óculos tuos, et saturáre pánibus: exspécta Dóminum, et liberábit te. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. xxiv. 13.

In illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quærerent: et ipse Jesus

appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. -ℑ- Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Non dicitur Credo. nisi infra Octavam Paschæ, atque in Festo et per Octavam ipsius Sancti Simeonis.

Offertorium. Isai. xxx. 20. **Erunt óculi tui vidéntes Præceptórem tuum, et aures tuæ áudient verbum ejus.**

Secreta.

MUnera plebis tuæ, Dómine Jesu, intercedénte beáto Simeóne, propítius réspice: ac per illa in Corpus et Sánguinem tuum convérsa, quas olim in ipso Discípulo virtútes excitásti, eásdem in ómnibus erga te fidem, spem et caritátem adáuge: Qui vivis.

Præfatio Paschalis, sed cum variationibus, quæ juxta Temporis diversitatem, in Missa votiva de Manifestationis Dominicæ Mysterio, inferius indicantur.

Communio. Jer. xv. 16. **Comédi sermónes tuos, Dómine: et factum est mihi verbum tuum in gáudium, et in lætítiam cordis mei. Allelúja.**

Postcommunio.

AD mensam hanc enutrítis, Dómine, per mérita beáti Simeónis, abundántiam tuæ pietátis impénde: ut admiránda Panis fráctio, sicut eídem Resurrectiónem Christi fecit indúbiam; ita nobis certam medélam operétur, et glóriam. Per eúmdem.

In fine Missæ, si recitatum fuerit **Glória in excélsis.**, dicitur **Ite missa est.**; secus vero, substituitur **Benedicámus Dómino.**

℣ Extra festum et Octavam ejusdem Sancti Simeonis, libere pro Sacerdotum lubito, ad Missam superius appositam sequens etiam, loco alterius, legi potest Epistola:

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. ii. 1.

FIli mi, si suscéperis sermónes meos, et mandáta mea abscónderis penes te, ut áudiat sapiéntiam auris tua: inclína cor tuum ad cognoscéndam prudéntiam. Si enim sapiéntiam invocáveris, et inclináveris cor tuum prudéntiæ: si quæsíeris eam quasi pecúniam, et sicut thesáuros effóderis illam: tunc intélliges timórem Dómini, et sciéntiam Dei invénies: quia Dóminus dat sapiéntiam; et ex ore ejus prudéntia et sciéntia. Custódiet rectórum salútem, et próteget gradiéntes simplíciter, servans sémitas justítiæ, et vias Sanctórum custódiens. Tunc intélliges justítiam, et judícium, et æquitátem, et omnem sémitam bonam.

In Ecclesia Sanctuarii Emmaus.

Missa votiva

De Sancto Cleopha Christi Discipulo

ejusque Resurrectionis teste

Ad Altare tantum ipsius Sancti Cleophæ

celebranda.

Infra Octavas Paschæ et ipsius Sancti Cleophæ est primæ Classis,
Reliquis autem per annum diebus est secundæ tantum Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Eccli. xv. 3.

CIbávit eum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum: jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. Psalm. cxi. 1. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus volet nimis.
℣. Glória Patri.

Non dicitur Glória in excélsis, nisi infra Octavam Paschæ, atque in Festo et per Octavam ipsius Sancti Cleophæ.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui a mórtuis exsúrgens, beáto Cléophæ, supérnis elóquiis erudíto, in fractióne Panis teípsum revelásti: ejus nobis interventu concéde; ut sermónum tuórum declaratióne divínam voluntátem edócti, ad eam impléndam cœléstis mensæ virtúte perducámur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Philipp. iii. 7.

FRatres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum,

et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem: quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero, quæ sunt prióra, exténdens meípsum; ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu.

Graduale. Job. xxxi. 32. Foris non mansit peregrínus: óstium meum viatóri pátuit. ℣. Sap. viii. 16. Non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus; sed lætítiam et gáudium.

Allelúja, allelúja.

℣. Psalm. lxxxiii. 3. Cor meum, et caro mea, exsultavérunt in Deum vivum: Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te. Allelúja.

☩ Post Septuagesimam, omissis Allelúja. et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. xciii. 12. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, et de lege tua docúeris eum: ut mítiges ei a diébus malis.

℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

℣. Et factus est mihi Dóminus in refúgium: et Deus meus in adjutórium spei meæ.

☩ Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Psalm. cxviii. 135. Fáciem tuam, Dómine, illúmina super servum tuum: et doce me justificatiónes tuas. Allelúja.

℣. Psalm. xxx. 4. Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. xxiv. 13.

In illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quærerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et

ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. -ℑ- Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Non dicitur Credo. nisi infra Octavam Paschæ, atque in Festo et per Octavam ipsius Sancti Cleophæ.

Offertorium. Gen. xxxv. 3.

Deus exaudívit me in die tri-

bulatiónis meæ, et sócius fuit itíneris mei.

Secreta.

REnovántes in tui memóriam, Dómine, cœléstis fractiónem Panis: illæ nos, quǽsumus, amóris flammæ succéndant; quas olim in corde beáti Cléophæ, Discípuli tui, veheménter excitásti: Qui vivis.

Præfatio Paschalis, sed cum variationibus, quæ juxta Temporis diversitatem, in Missa votiva de Manifestationis Dominicæ Mysterio, inferius indicantur.

Communio. Apoc. iii. 20. **Si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi jánuam, dicit Dóminus: intrábo ad illum, et cœnábo cum illo, et ipse mecum. Allelúja.**

Postcommunio.

SAcra, Dómine, Mystéria, quæ te jubénte perégimus, divínæ illustratiónis grátiam fac nobis adáugeant: quæ post Resurrectiónem tuam, in domo Cléophæ íterum celebráta, omnes ab ejus corde ténebras expulérunt: Qui vivis.

In fine Missæ, si recitatum fuerit **Glória in excélsis.**, dicitur **Ite missa est.**; secus vero, substituitur **Benedicámus Dómino.**

℣ Extra Festum et Octavam ejusdem Sancti Cleophæ, libere pro Sacerdotum lubito, ad Missam superius appositam sequens etiam, loco alterius, legi potest Epistola:

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. iv. 12.

SApiéntia fíliis suis vitam inspírat, et súscipit inquiréntes se, et præíbit in via justítiæ. Et qui illam díligit, díligit vitam: et qui vigiláverint ad illam, complecténtur placórem ejus. Qui tenúerint illam, vitam hæreditábunt: et quo introíbit, benedícet Deus. Qui sérviunt ei, obsequéntes erunt Sancto: et eos, qui díligunt illam, díligit Deus. Qui audit illam, judicábit Gentes: et qui intuétur illam, permanébit confídens. Quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis éligit eum. Timórem et metum, et probatiónem indúcet super illum: et cruciábit illum in tribulatióne doctrínæ suæ, donec tentet eum in cogitatiónibus suis, et credat ánimæ illíus. Et firmábit illum, et iter addúcet diréctum ad illum, et lætificábit illum, et denudábit abscónsa sua illi, et thesaurizábit super illum sciéntiam et intelléctum justítiæ.

In Ecclesia Sanctuarii Emmaus.

Missa votiva

extra Tempus Paschale

De Manifestatione Christi Resurgentis

in fractione Panis

Ad omnia et singula Ecclesiæ Altaria

celebranda.

Est semper primæ Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Psalm. cx. 4.

MEmóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se: virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo. Psalm. Ibid. 1. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: in consílio justórum, et congregatióne.

℣. Glória Patri.

Dicitur Glória in excélsis.

Oratio.

DEus, qui ad confirmándos in fide Resurrectiónis Discípulos tuos, Cléophæ ejúsque sócio in via apparére, et in fractióne Panis ab ipsis agnósci voluísti: tuum nobis, quǽsumus, infúnde robur ac lumen; ut alácriter viam mandatórum inofffénso pede curréntes, immortális vitæ gáudia consequámur: Qui vivis.

Léctio Actuum Apostolórum. Act. x. 36.

IN diébus illis: Apériens Petrus os suum, dixit: Verbum misit Deus fíliis Israël, annúntians pacem per Jesum Christum: (hic est ómnium Dóminus). Vos scitis quod factum est verbum per univérsam Judǽam: incípiens enim a Galilǽa, post baptísmum, quod prædicávit Joánnes, Jesum a Názareth: quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto, et virtúte, qui pertránsiit benefaciéndo, et sanándo omnes oppréssos a diábolo, quóniam Deus erat cum

illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, et Jerúsalem, quem occidérunt suspendéntes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértia die, et dedit eum maniféstum fíeri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo: nobis, qui manducávimus et bíbimus cum illo, postquam resurréxit a mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, et testificári, quia ipse est, qui constitútus est a Deo judex vivórum, et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

Graduale. Psalm. cxliv. 19.
Dóminus voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet: et salvos fáciet eos.

℣. Psalm. lxvii. 4. Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delectétur in lætítia.

Allelúja, allelúja.

℣. Jer. xxxi. 13. Convértam luctum eórum in gáudium, dicit Dóminus: et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo. Allelúja.

℞ Post Septuagesimam, omissis Allelúja. et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. xxxv. 9.
Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ: et torrénte voluptátis tuæ, Dómine, potábis eos.

℣. Quóniam apud te est fons vitæ: et in lúmine tuo vidébimus lumen.

℣. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te: et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.


Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. xxiv. 13.

IN illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quǽrerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ?

Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Jos. xxiii. 14.

Toto ánimo cognoscétis quod de ómnibus verbis, quæ se Dóminus præstitúrum vobis esse pollícitus est, unum non præteríerit incássum.

Secreta.

OBlatiónem nostram réspice, miséricors Deus: et sicut Cléopham ejúsque sócium, ad hospítium domus suæ te amabíliter cogéntes, benígnus audísti; ita nobis, te in cordis nostri habitáculum

expeténtibus, grátiam tuæ visitatiónis indúlge: Qui vivis.

Præfatio Paschalis: in eaque, singulis per annum diebus, absolute dicitur Omni témpore gloriósius prædicáre.

Communio. IV. Reg. vii. 9.
Dixerúntque ad ínvicem: Hæc dies boni núntii est: si tacuérimus, et noluérimus nuntiáre usque mane, scéleris arguémur: veníte, eámus, et nuntiémus. Allelúja.

Postcommunio.

Mentes nostras, Dómine, grátia tuæ Resurrectiónis illústra: et cujus veritátem, Cléophæ atque sócio in fractióne Panis comprobásti; ejus in nobis Mystérii virtútem, divíni Sacraménti renováta participatióne, confírma: Qui vivis.

In fine Missæ dicitur Ite missa est.

℟ Missæ de Sancto Simeone, aut de Sancto Cleopha, infra respectivam alterutrius Sancti Octavam censentur esse primæ Classis; itemque Votiva de Adjunctione Domini, infra etiam utriusque Sancti Octavam.

Ad omnes Missas votivas color albus adhibetur; etiamque in Votiva de Sancto Simeone, ac de Sancto Cleopha, utpote in incruento Adjunctionis et Manifestationis Dominicæ Mysterio consortibus.



In Ecclesia Sanctuarii Emmaus.

Missa votiva

De Sancto Cleopha Christi Discipulo

ejusque Resurrectionis teste

Ad Altare tantum ipsius Sancti Cleophæ

celebranda.

Infra Octavas Paschæ et ipsius Sancti Cleophæ est primæ Classis,
Reliquis autem per annum diebus est secundæ tantum Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Eccli. xv. 3.

CIbávit eum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum: jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. Psalm. cxi. 1. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus volet nimis. ℣. Glória Patri.

Non dicitur Glória in excélsis. nisi infra Octavam Paschæ, atque in Festo et per Octavam ipsius Sancti Cleophæ.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui a mórtuis exsúrgens, beáto Cléophæ, supérnis elóquiis erudíto, in fractióne Panis teípsum reveládsti: ejus nobis interve̍ntu concéde; ut sermónum tuórum declaratióne divínam voluntátem edócti, ad eam impléndam cœléstis mensæ virtúte perducámur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Philipp. iii. 7.

FRatres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum,

et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem: quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero, quæ sunt prióra, exténdens meípsum; ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu.

Graduale. Job. xxxi. 32. Foris non mansit peregrínus: óstium meum viatóri pátuit. ℣. Sap. viii. 16. Non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus; sed lætítiam et gáudium.

Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. lxxxiii. 3. Cor meum, et caro mea, exsultavérunt in Deum vivum: Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te. Allelúja.

℈ Post Septuagesimam, omissis Allelúja. et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. xciii. 12. Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, et de lege tua docúeris eum: ut mítiges ei a diébus malis. ℣. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. ℣. Et factus est mihi Dóminus in refúgium: et Deus meus in adjutórium spei meæ.

℈ Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. cxviii. 135. Fáciem tuam, Dómine, illúmina super servum tuum: et doce me justificatiónes tuas. Allelúja. ℣. Psalm. xxx. 4. Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. xxiv. 13.

IN illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quærerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et

ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. -✠- Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Non dicitur Credo. nisi infra Octavam Paschæ, atque in Festo et per Octavam ipsius Sancti Cleophæ.

Offertorium. Gen. xxxv. 3.
Deus exaudívit me in die tri-

bulatiónis meæ, et sócius fuit itíneris mei.

Secreta.

RENovántes in tui memóriam, Dómine, cœléstis fractiónem Panis: illæ nos, quǽsumus, amóris flammæ succéndant; quas olim in corde beáti Cléophæ, Discípuli tui, veheménter excitásti: Qui vivis.

Præfatio Paschalis, sed cum variationibus, quæ juxta Temporis diversitatem, in Missa votiva de Manifestationis Dominicæ Mysterio, inferius indicantur.

Communio. Apoc. iii. 20. Si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi jánuam, dicit Dóminus: intrábo ad illum, et cœnábo cum illo, et ipse mecum. Allelúja.

Postcommunio.

SAcra, Dómine, Mystéria, quæ te jubénte perégimus, divínæ illustratiónis grátiam fac nobis adáugeant: quæ post Resurrectiónem tuam, in domo Cléophæ íterum celebráta, omnes ab ejus corde ténebras expulérunt: Qui vivis.

In fine Missæ, si recitatum fuerit Glória in excélsis., dicitur Ite missa est.; secus vero, substituitur Benedicámus Dómino.

℟ Extra Festum et Octavam ejusdem Sancti Cleophæ, libere pro Sacerdotum lubito, ad Missam superius appositam sequens etiam, loco alterius, legi potest Epistola:

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. iv. 12.

SApiéntia fíliis suis vitam inspírat, et súscipit inquiréntes se, et præíbit in via justítiæ. Et qui illam díligit, díligit vitam: et qui vigiláverint ad illam, complecténtur placórem ejus. Qui tenúerint illam, vitam hæreditábunt: et quo introíbit, benedícet Deus. Qui sérviunt ei, obsequéntes erunt Sancto: et eos, qui díligunt illam, díligit Deus. Qui audit illam, judicábit Gentes: et qui intuétur illam, permanébit confídens. Quóniam in tentatióne ámbulat cum eo, et in primis éligit eum. Timórem et metum, et probatiónem indúcet super illum: et cruciábit illum in tribulatióne doctrínæ suæ, donec tentet eum in cogitatiónibus suis, et credat ánimæ illíus. Et firmábit illum, et iter addúcet diréctum ad illum, et lætificábit illum, et denudábit abscónsa sua illi, et thesaurizábit super illum sciéntiam et intelléctum justítiæ.

In Ecclesia Sanctuarii Emmaus.

Missa votiva

extra Tempus Paschale

De Manifestatione Christi Resurgentis

in fractione Panis

Ad omnia et singula Ecclesiæ Altaria

celebranda.

Est semper primæ Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Psalm. cx. 4.

MEmóriam fecit mirabílium suórum, misériors et miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se: virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo. Psalm. Ibid. 1. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: in consílio justórum, et congregatióne.
℣. Glória Patri.

Dicitur Glória in excélsis.

Oratio.

DEus, qui ad confirmándos in fide Resurrectiónis Discípulos tuos, Cléophæ ejúsque sócio in via apparére, et in fractióne Panis ab ipsis agnósci voluísti: tuum nobis, quæsumus, infúnde robur ac lumen; ut alácriter viam mandatórum inofféñso pede curréntes, immortális vitæ gáudia consequámur: Qui vivis.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. x. 36.

IN diébus illis: Apériens Petrus os suum, dixit: Verbum misit Deus fíliis Israël, annúntians pacem per Jesum Christum: (hic est ómnium Dóminus). Vos scitis quod factum est verbum per univérsam Judæam: incípiens enim a Galilæa, post baptísmum, quod prædicávit Joánnes, Jesum a Názareth: quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto, et virtúte, qui pertránsiit benefaciéndo, et sanándo omnes oppréssos a diábolo, quóniam Deus erat cum

illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, et Jerúsalem, quem occidérunt suspendéntes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértia die, et dedit eum manifféstum fíeri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo: nobis, qui manducávimus et bíbimus cum illo, postquam resurréxit a mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, et testificári, quia ipse est, qui constitútus est a Deo judex vivórum, et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

Graduale. Psalm. cxliv. 19. Dóminus voluntátem timéntium se fáciet, et deprecatiónem eórum exáudiet: et salvos fáciet eos.

℣. Psalm. lxvii. 4. Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Allelúja, allelúja.

℣. Jer. xxxi. 13. Convértam luctum eórum in gáudium, dicit Dóminus: et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo. Allelúja.

℣ Post Septuagesimam, omissis Allelúja. et ℣. sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. xxxv. 9. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ: et torrénte voluptátis tuæ, Dómine, potábis eos.

℣. Quóniam apud te est fons vitæ: et in lúmine tuo vidébimus lumen.

℣. Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te: et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. xxiv. 13.

IN illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quǽrerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ?

Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Jos. xxiii. 14.

Toto ánimo cognoscétis quod de ómnibus verbis, quæ se Dóminus præstitúrum vobis esse pollícitus est, unum non præteríerit incássum.

Secreta.

OBlatiónem nostram réspice, miséricors Deus: et sicut Cléopham ejúsque sócium, ad hospítium domus suæ te amabíliter cogéntes, benígnus audísti; ita nobis, te in cordis nostri habitáculum

expeténtibus, grátiam tuæ visitatiónis indúlge: Qui vivis.

Præfatio Paschalis: in eaque, singulis per annum diebus, absolute dicitur Omni témpore gloriósius prædicáre.

Communio. IV. Reg. vii. 9. Dixerúntque ad ínvicem: Hæc dies boni núntii est: si tacuérimus, et noluérimus nuntiáre usque mane, scéleris arguémur: veníte, eámus, et nuntiémus. Allelúja.

Postcommunio.

Mentes nostras, Dómine, grátia tuæ Resurrectiónis illústra: et cujus veritátem, Cléophæ atque sócio in fractióne Panis comprobásti; ejus in nobis Mystérii virtútem, divíni Sacraménti renováta participatióne, confírma: Qui vivis.

In fine Missæ dicitur Ite missa est.

℣ Missæ de Sancto Simeone, aut de Sancto Cleopha, infra respectivam alterutrius Sancti Octavam censentur esse primæ Classis; itemque Votiva de Adjunctione Domini, infra etiam utriusque Sancti Octavam.

Ad omnes Missas votivas color albus adhibetur; etiamque in Votiva de Sancto Simeone, ac de Sancto Cleopha, utpote in incruento Adjunctionis et Manifestationis Dominicæ Mysterio consortibus.



In Ecclesia Sanctuarii Emmaus.

Missa votiva

infra Tempus Paschale

De Manifestatione Christi Resurgentis

in fractione Panis

Ad omnia et singula Ecclesiæ Altaria

celebranda.

Est semper primæ Classis.

AD MISSAM.

Introitus. Psalm. cx. 4.

MEmóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus, allelúja: escam dedit timéntibus se, allelúja: virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo. Allelúja, allelúja, allelúja.

Psalm. Ibid. 1. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: in consílio justórum, et congregatióne.

℣. Glória Patri.

Dicitur Glória in excélsis.

Oratio.

DEus, qui ad confirmándos in fide Resurrectiónis Discípulos tuos, Cléophæ ejúsque sócio in via apparére, et in fractióne Panis ab ipsis agnósci voluísti: tuum nobis, quǽsumus, infúnde robur ac lumen; ut alácriter viam mandatórum inoffénso pede curréntes, immortális vitæ gáudia consequámur: Qui vivis.

Léctio Actuum Apostolórum.

Act. x. 36.

IN diébus illis: Apériens Petrus os suum, dixit: Verbum misit Deus fíliis Israël, annúntians pacem per Jesum Christum: (hic est ómnium Dóminus). Vos scitis quod factum est verbum per univérsam Judǽam: incípiens enim a Galilǽa, post baptísmum, quod prædicávit Joánnes, Jesum a Názareth: quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto, et virtúte, qui pertránsiit benefaciéndo, et sanándo omnes oppréssos a diábolo, quóniam Deus erat cum

illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, et Jerúsalem, quem occidérunt suspendéntes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértia die, et dedit eum maniféstum fíeri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo: nobis, qui manducávimus et bíbimus cum illo, postquam resurréxit a mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, et testificári, quia ipse est, qui constitútus est a Deo judex vivórum, et mortuórum. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

℟ A Feria II. Paschatis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, post Epistolam dicitur:

Graduale. Psalm. cxvii. 24. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea.

℣. Psalm. lxvii. 4. Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia.

Allelúja, allelúja.

℣. Jer. xxxi. 13. Convértam luctum eórum in gáudium, dicit Dóminus: et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo.

Sequentia.

Victimæ Paschali laudes ímmolent Christiáni.

Agnus redémit oves; Christus ínnocens Patri reconciliávit peccatóres.

Mors et vita duéllo conflixére mirándo: dux vitæ mórtuus, regnat vivus.

Dic nobis, María, quid vidísti in via?

Sepúlchrum Christi vivéntis, et glóriam vidi resurgéntis;

Angélicos testes, sudárium et vestes.

Surréxit Christus spes mea: præcédet vos in Galilæam.


Scimus Christum surrexísse a mórtuis vere: tu nobis, victor Rex, miserére. Amen. Allelúja.

℟ Reliquo autem Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

℣. Luc. xxiv. 35. Cognovérunt Discípuli Dóminum Jesum in fractióne Panis. Allelúja.

℣. Sap. xvi. 21. Substántia enim tua dulcédinem tuam, Dómine, quam in fílios habes, ostendébat. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. xxiv. 13.

In illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa

die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quærerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se étiam visiónem Angelórum vidísse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulíeres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem; et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit

Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via; et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Dicitur Credo.

Offertorium. Jos. xxiii. 14.

Toto ánimo cognoscétis quod de ómnibus verbis, quæ se Dóminus præstitúrum vobis esse pollícitus est, allelúja, unum non præteríerit incássum. Allelúja, allelúja.

Secreta.

OBlatiónem nostram réspice, miséricors Deus: et sicut Cléopham ejúsque sócium, ad hospítium domus suæ te amabíliter cogéntes, benígnus audísti; ita nobis, te in cordis nostri habitáculum expeténtibus, grátiam tuæ visitatiónis indúlge: Qui vivis.

Præfatio Paschalis: in eaque, infra Octavam Resurrectionis Domini, a Feria II. usque ad Sabbatum in Albis inclusive, dicitur In hac potíssimum die; reliquo autem Tempore Paschali, In hoc potíssimum.

Communio. IV. Reg. vii. 9.

Dixerúntque ad ínvicem: Hæc dies boni núntii est, allelúja: si tacuérimus, et noluérimus nuntiáre usque mane, scéleris arguémur: veníte, eámus, et nuntiémus. Allelúja, allelúja, allelúja.

Postcommunio.

MEntes nostras, Dómine, grátia tuæ Resurrectiónis illústra: et cujus veritátem, Cléophæ atque sócio in fractióne Panis comprobásti; ejus in nobis Mystérii virtútem, divíni Sacraménti renováta participatióne, confírma: Qui vivis.

A Feria II. Paschatis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, in fine Missæ dicitur:

℣. Ite missa est. Allelúja, allelúja.

℟. Deo grátias. Allelúja, allelúja.

Reliquo autem Tempore Paschali, in fine Missæ dicitur more solito Ite missa est.

☩ Infra Octavam Paschæ, a Feria nempe II. usque ad Dominicam in Albis inclusive, omnes tres Missæ votivæ, tam de Adjunctione Domini quam de Sancto Simeone aut de Sancto Cleopha, censentur esse primæ Classis.

Ad omnes Missas votivas color albus adhibetur; etiamque in Votiva de Sancto Simeone, ac de Sancto Cleopha, utpote in incruento Adjunctionis et Manifestationis Dominicæ Mysterio consortibus.



APPENDIX.

ALIA DUO SEDIS APOSTOLICÆ RESCRIPTA MISSAM IN EMMAUNTINO SANCTUARIO CELEBRANDAM

RESPICIENTIA.

I.

E SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

SUMMARIUM. — Conceditur in perpetuum Indulgentia Plenaria, etiam Animabus Defunctorum applicabilis: — **I°.** — Singulis Sacerdotibus die qualibet Missam in Emmauntino Sanctuario celebrantibus; — **II°.** — Omnibus utriusque sexus Christifidelibus idem Sanctuarium devote quavis anni die visitantibus; — **III°.** — Universis insuper Christifidelibus confessis et Sacra Communione refectis, qui Officio ac Missæ ibidem quotannis Feria II. Paschatis et die 25. Septembris celebrandis adstiterint.

Num. 47406.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

habita die 26. Februarii 1902.

SAnctissimus Dominus Noster LEO Divina Providentia Papa XIII., referente me infrascripto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Secretario, Presbyteris singulis in Sanctuario Emmauntino Terræ Sanctæ sacrosanctum Missæ Sacrificium die qualibet celebrantibus, atque omnibus utriusque sexus Christifidelibus Sanctuarium idem devote visitantibus; omnibus insuper Christifidelibus, qui Officio ac Missæ Feria II. infra Octavam Paschæ, vel die 25. mensis Septembris ibidem quotannis celebrandis pie adstiterint, dummodo vere pœnitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint pro Sanctæ Fidei propagatione et juxta Summi Pontificis intentionem, Plenariam Indulgentiam valituram et applicabilem quoque per modum suffragii Animabus in Purgatorio detentis benigne concedit, atque in Domino misericorditer impertitur. In perpetuum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, die [26. Februarii] et anno [1902] ut supra.

L. ✠ S.

Aloisius Veccia Secretarius.

II.

E SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

SUMMARIUM. — Altaria Emmauntini Sanctuarii, utique fixa (quamvis forent lignea) numquam vero portatilia, in perpetuum declarantur singulis anni diebus privilegiata pro Missis omnibus in Defunctorum levamen a quocumque Sacerdote sæculari vel regulari juxta consuetas in Altaris privilegiati usu normas celebrandis.

Num. 48210.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

habita die 26. Februarii 1902.

SAnctissimus Dominus Noster LEO Divina Providentia Papa XIII., referente infrascripto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne declarare dignatus est in perpetuum et singulis anni diebus Privilegiata Altaria Sanctuarii Emmauntini in Terra Sancta, pro cunctis Missæ Sacrificiis, quæ in suffragium Animarum in Purgatorio degentium in iisdem Altaribus a quocumque Presbytero sæculari vel cujuscumque Ordinis Regulari celebrabuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, die [26. Februarii] et anno [1902] prædictis.

L. ✠ S.

Aloisius Veccia Secretarius.

Index eorum omnium
quæ in hoc Missali Votivo
Emmauntini Sanctuarii
continentur.

S. Bedae Venerabilis Conf. et Eccl. Doct.

Introitus. Eccli. 15.

IN medio Ecclesiae aperuit os ejus: et implevit eum Dominus spiritu sapientiae, et intellectus: stolam gloriae induit eum. Ps. 91. Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime. ℣. Gloria Patri.

ORATIO

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Bedae Confessoris tui atque Doctoris eruditione clarificas: concede propitius famulis tuis; ejus semper illustrari sapientia et meritis adjuvari. Per Dominum.

Et fit Commem. S. Joannis I. Papae, Martyris.

ORATIO

Deus, qui nos beati Joannis Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate laetificas: concede propitius: ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4.

Carissime: Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: praedica verbum, insta opportune, importune: argue obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditabitur sapientiam: et lingua ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, alleluja. ℣. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluja, alleluja. ℣. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluja.

℣. Osee 14. Justus germinabit sicut lilium: et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 5. b.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum: qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus, quae in Libano est, multiplicabitur.

SECRETA

SANCTI tui Bedae nobis, Domine, pia non desit oratio: quae et munera nostra conciliet; et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum.

Pro S. Joanne Papa, Mart.
Secreta.

MUNERA tibi, Domine, dicata sanctifica: et, intercedente beato Joanne Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dnm.

Communio. Luc. 12. Fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

POSTCOMMUNIO

UT nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus Beda Confessor tuus et Doctor egregius, quaesumus, precator accedat. Per Dominum.

Pro S. Joanne Papa, Mart.
Postcommunio.

HAEC nos communio, Domine, purget a crimine: et, intercedente beato Joanne Martyre tuo atque Pontifice, coelestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum.

Concordat cum exemplari authentico.

Marianopoli 15 decem[illegible]

† PAULUS Archiep. Marianopolit.

[illegible]opoli. Typis Arbour & Laperle.

II.

E SACRA CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE.

SUMMARIUM. — Altaria Emmauntini Sanctuarii, utique fixa (quamvis forent lignea) numquam vero portatilia, in perpetuum declarantur singulis anni diebus privilegiata pro Missis omnibus in Defunctorum levamen a quocumque Sacerdote sæculari vel regulari juxta consuetas in Altaris privilegiati usu normas celebrandis.

Num. 48210.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

habita die 26. Februarii 1902.

SAnctissimus Dominus Noster LEO Divina Providentia Papa XIII., referente infrascripto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne declarare dignatus est in perpetuum et singulis anni diebus Privilegiata Altaria Sanctuarii Emmauntini in Terra Sancta, pro cunctis Missæ Sacrificiis, quæ in suffragium Animarum in Purgatorio degentium in iisdem Altaribus a quocumque Presbytero sæculari vel cujuscumque Ordinis Regulari celebrabuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, die [26. Februarii] et anno [1902] prædictis.

L. ✠ S.

Aloisius Veccia Secretarius.

Index eorum omnium

quæ in hoc Missali Votivo

Emmauntini Sanctuarii

continentur.



S. Bedae Venerabilis Conf. et Eccl. Doct.

Introitus. Eccli. 15.

IN medio Ecclesiae aperuit os ejus: et implevit eum Dominus spiritu sapientiae, et intellectus: stolam gloriae induit eum. Ps. 91. Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo, Altissime. ℣. Gloria Patri.

ORATIO

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Bedae Confessoris tui atque Doctoris eruditione clarificas: concede propitius famulis tuis; ejus semper illustrari sapientia et meritis adjuvari. Per Dominum.

Et fit Commem. S. Joannis I. Papae, Martyris.

ORATIO

Deus, qui nos beati Joannis Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate laetificas: concede propitius: ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

2. Tim. 4.

Carissime: Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: praedica verbum, insta opportune, importune: argue obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditabitur sapientiam: et lingua ejus loquetur judicium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus. Alleluja, alleluja. ℣. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluja, alleluja. ℣. Eccli. 45. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum. Alleluja.

℣. Osee 14. Justus germinabit sicut lilium: et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluja.

† Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 5. b.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat coelum et terra, iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum: qui autem fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florebit: sicut cedrus, quae in Libano est, multiplicabitur.

SECRETA

Sancti tui Bedae nobis, Domine, pia non desit oratio: quae et munera nostra conciliet; et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum.

Pro S. Joanne Papa, Mart.
Secreta.

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: et, intercedente beato Joanne Martyre tuo atque Pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dnm.

Communio. Luc. 12. Fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

POSTCOMMUNIO

Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem: beatus Beda Confessor tuus et Doctor egregius, quaesumus, precator accedat. Per Dominum.

Pro S. Joanne Papa, Mart.
Postcommunio.

Haec nos communio, Domine, purget a crimine: et, intercedente beato Joanne Martyre tuo atque Pontifice, coelestis remedii faciat esse consortes. Per Dominum.

Concordat cum exemplari authentico.

Marianopoli, 15 decembris 1900.

† PAULUS Archiep. Marianopolit.

Marianopoli. Typis Arbour & Laperle.